



TENTAMEN MEDICUM

IN AURALE

DE

EPITIPSA






TENTAMEN MEDICUM,

I N A U G U R A L E,

D E

E P I L E P S I A.



TENTAMEN MEDICUM
IN AUGUSTO

DE

EPIDEMIA

QUOD

AVANCESTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GUILIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRÆFECTI;

TENTAMEN MEDICUM
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissime FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISSÆ IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Exditorum examini subijcit

TIPPIN & BROWN

ANGLI

Soc. Med. Reg. Edin. Socius

EPIDEMIA
Soc. Physicæ Soc. Honor. et nunc per secund. vices

Præf. Annus

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis

Multa lævo tegit involvere Nectur, nec illis

Fas est scire mortalibus omnia

LUCRET.

EDINBURGI

Apud BALFOUR et SMELLIE

Academice Typographos.

MDCCLXXXI

TENTAMEN MEDICUM,
INAUGURALE,
DE
EPILEPSIA.

QUOD
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

TIPPING BROWN,

ANGLUS,

Soc. Med. Reg. Edin. Socius,

Nec non

Soc. Physicæ Soc. Honor. et nunc per secund. vices

Praefes Annuus.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

Multa sacro tegit involucro Natura, nec ullis

Fas est scire mortalibus omnia.

LUCRET.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

VIRO OPTIMO SPECTATISSIMO,

RADULPHO LAMBTON,

DE LAMBTON,

ARMIGERO,

PROPTER

VITÆ PROBITATEM INSIGNEM,

MORUM COMITATEM EXIMIAM,

AMICITIAM DENIQUE SUMMAM

SÆPE DEMONSTRATAM,

HAS, QUALES CUNQUE SINT,

IN RE MEDICÆ LABORUM

PRIMITIAS,

SACRAS ESSE VOLUIT

TIPPING BROWN.

Dr Duncan,

(as a small testimony

of respect & esteem)

from his Pupil, Friend &

obliged h^ol Serv^t.

The Author.

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

DE

EPILEPSIA.

EPILEPSIA morbus est, qui antiquis Graecis et medicis Romanis optime erat notus; signa enim ejus praecipua in eorum scriptis maxima cum fidelitate et diligentia notantur: Cum vero novis tot inventis anatomiam et physiologiam recentiores auctores locupletarunt, clarius certe et planius nobis de causis ratiocinandi vires suppeditarunt. Materia etiam medica, studiis et laboribus tot virorum laudatorum iteratis, *emendata* et *expolita*,
A elegantiores,

elegantiores, pariter ac simpliciores, medicamentorum formulas praebet. Quum vero naturae morborum, in omnibus commutationibus, observandae tam impigre antiqui innituerunt, horum scripta, in hisce observationibus colligendis, me saepius consuluisse, fateri haudquaquam pudet; utpote ratum, veteres, rerum eventis magis emonitos, quam ratione ductos, quae tradiderunt probasse.

Quosdam de re medica scriptores caeca quadam admiratione antiquitatis peccavisse, facile concedo; sed hodiernos istos, qui patrum monita et praecepta omnino neglexerunt, pariter errasse mihi saltem videtur. Felix faustumque quidem humano generi fuisset, si illi, cum Hippocratem aliosque medicinae cultores inconsulte et imprudenter in omnibus laudassent, et hi, cum imperite damnassent, utrique curam, fidelitatem, et diligentiam, hujus medicorum facile principis * fuissent imitati.

Hoc

* Gregory's Duties of a Physician, p. 183.

Hoc modo certa et immutanda effata habuiffemus, atque super haec morborum certam et validam rationem ftatuere- mus :

‘ Decreta enim medica haud facile recipi-
 ‘ enda funt, quae non multiplex ufus fir-
 ‘ maverit *.’

Sed me veterum novorumque haec re- putatio, iufto longius a propofito tulit ; li- ceat igitur normas quas mihimet obfervan- das in hac differtatione paranda propofui, paucis verbis memorare : In parte phyfio- logica non nifi a certis anatomicorum ob- fervationibus, et notis manifefstisque legi- bus corporis ratiocinari, et totum argumen- tum, quam fimpliciffime potuerim, tractare conatus fum. *Hypotheſes*, utpote medici- nae aequae ac philofophiae nocivas, vitandas putavi ; nam quod immortalis ille Newto- nus de illis praedicavit, utrique ſcientiae pariter applicari poteft : ‘ Quicquid ex
 ‘ phaenomenis non deducitur, *hypotheſis*
 ‘ vocanda eſt ; et *hypotheſes* feu metaphyfi-
 ‘ cae, feu phyſicae, feu qualitatatum oculata-
 ‘ rum,

* Friend, de Febribus.

‘rum, seu mechanicae, in philosophia experimentalis locum non habent *.’

Ex dira et insigni facie, quam plerumque hicce morbus induit, superstitiosi iracundorum, potentiae daemonum, arti magicae, aliisque hujusmodi causis, tribuerunt; et hinc etiam variis nominibus et inter Graecos et Romanos fuit nuncupatus †.

Nomen inter Latinos fuit *morbus comitialis*, quod populus a conventibus *comitiis* dictis statim dimittebatur, si quis adstantium epilepsia caperetur; hocce enim omen infaustum aestimaverunt. ‡.

Interdum

* Philos. nat. princip. math. schol gener.

† *Comitialis morbus* etiam *Œgea voros* dicitur, aut ob magnitudinem, unde etiam *magnus* vocatur morbus, aut quod sacer sit, et a diis immiffus; aut quod, &c. Vid. Hippoc. praediſt. L. II. ſect. 2. p. 39. edit. Foefii; quo in loco, lector ille (qui vult) multas variasque, hujusce nominis, cauſas perlegat. Ab aliis *Herculeus* dicitur; Gal. com. 6 in lib. 6. epid. appellatur etiam *Morbus Lunaticus*, *Sonticus*, *Infantilis*, *Seleniacus*, *Caducus*, &c. &c.

‡ Godwin's Roman Antiquities.

Interdum accessus epilepticus tam vehemens est, ut mortem subitanam inferat; plerumque vero periodicus est affectus per circuitus, nunc certos nunc varios, rediens. Quidam opinati sunt morbum huncce in his intervallis siderum revolutiones, praecipue conjunctiones et oppositiones, sequi*. Hoc autem valde incertum videtur, non solum quod modum actionis explicare nequeamus, at etiam quod variae sint causae externae et fortuitae, praeter planetarum actionem, quarum plurimae, sine ullo hujusmodi impulsu, satis superque ad affectionem producendam valeant.

Paroxyfmus interdum repentinus invadit; plerumque vero antecedunt totius corporis lassitudo, capitis dolor, vertigo, oculorum hebetudo, tinnitusque aurium; misero aegroto mens parum constat, somnus turbatur, metum insolitum vigil persentificit, dormiens horrendis infomniis infestatur: Interdum adsunt cordis palpitatio,
ventriculi

* Mead de imperio Solis et Lunae.

ventriculi inflatio, respiratio difficilis et interrupta; ventris obmurmuratio, tumefactio, dolor: Faeces insigniter foetidi, urina limpida, solito copiosior, nonnunquam vero sanguine tincta: Venae colli tument, et saepe insolita pulsatio sentitur in temporum arteriis. Æger sine causa modo languescit, modo risu immodico concutitur: Nunc vero oculis album rubescit, et muscae volitantes obversantur.

Invadit nunc ipse paroxysmus, interdum, haudquaquam vero semper, aura quasi frigida a corporis extremis aliave parte sentitur ad caput ascendens: * Homo subito convulsus concidit, vociferatur, stertit, spumat, circumagitur, tremat. Sensu expers jacet; muscoli totius corporis convelluntur, praecipue faciei, vultus enim animi diversos omnes affectus ostendit; digiti volam versus violenter contrahuntur; oculi modo fixi, modo huc illuc vertuntur, dum nihil nisi album, quod infra est, adstantibus

* Lommii Observat. L. II.

bus apparet. Facies rubet, livet, imo etiam nigrescit; secretiones et excretiones turbantur; penis rigescens tentigine vexatur, dum semen etiam infcio emittitur; urina et faeces sine sensu elabuntur; rejicitur aliquando bilis, et sudor per universum corpus diffluit. Maxillae inter se contrahuntur, dentes stridore colliduntur, interdum franguntur; et sua ipsius labia atque linguam morfu petit aeger, dum per totum os spuma sanguinea diffluat. Pulsus primo sunt celeres, exiles, debiles; deinde fiunt tardiores, pleniores, justo autem debiliores: Stertor adest horrendus, atque respiratio difficilis; demum somnus vel potius sopor quidam misere laborantem invadit, ex quo expergefactus ab omni signo, nisi gravitate quadam capitis, torpore et membrorum lassitudine, penitus immunis relinquitur; haec vero omnia intra diem unum et alterum gradatim evanescunt.

Paroxyfmi quidem numero signorum, vi et longitudine temporum quibus redeunt, multum inter se discrepant, pro
diversis

diversis causis morbum inducentibus; pro aetatis, sexus, temperiei, etiam vivendi consuetudinis varietatibus; hanc autem, quae supra traditur, faciem accessio epileptica plerumque induit.

Plurima horum, quae memoravimus, signa, in eleganti illa et concinna hujus morbi descriptione inveniuntur, quam posteris Lucretius reliquit:

“Quinetiam subita vi morbi saepe coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremit artus,
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
Inconstanter, et in jaclando membra fatigat;
* * *— Ubi jam morbi se flexit causa, reditque
In latebras ater corrupti corporis humor;
Tum quasi talipedans primum confurgit, et omneis
Paullatim redit in sensus, animamque receptat”.

Lucret. Lib. III.

Dum acres sunt et violenti paroxysmi, aeger per ipsa intervalla male se habet, hebescunt sensus omnes, praecipue memoria; muscoli interdum contracti manent, adeo ut membra sint rigida et nonnunquam contorta. Spasmi abnormes, in quibusdam,

ita

ita sanguinis circuitum impediunt, ut inflammatio, nigritudo, imo etiam gangraena et sphacelus partium inducantur, quae musculos convulsos tegunt.

Infantes quam adolescentes huncce affectum saepius aggredi, ab omnibus conceditur; an viros seu foeminas, auctores inter se minime consentiunt. Viros saepius epilepsia laborare* Celsus asserit; in quam sententiam † Home noster illustris incumbit; ‡ Cullenus autem celeberr. in contrariam opinionem abivit. Inter viros tam laudatos lites componere haud meum est; posteriorum experientia judicet. Interdum per totam vitam manet; interdum vero paralyfi, apoplexia, aut ipsa morte, subito finitur.

Cum apud nos praecipua signa perpendamus, quae in historia supra memorantur, nullus locus est dubitandi quin celeberrimi Culleni nostri definitionem omnibus aliis

B anteponamus;

* Celsus, L. III. c. 23.

† Principia Med. 233.

‡ Cullen. Praelect.

anteponamus ; est enim brevis, elegans, atque concinna, et affectionem hancce ab aliis similibus fatis distinguit :—Apud *neuroses*, quae classem secundam constituunt, in ordine tertio, *spasmodum* genus quinquagesimum tertium dicitur esse

“ MUSCULORUM CONVULSIO CUM SOPORE.”

Cum autem alii sint morbi qui horum signorum plurima habent, et, etiam si haec optima definitio diagnofin in plerisque praebet ; tamen haudquaquam supervacaneum fore habuimus, pauca fusius tradere, ut facilius ab illis epilepsia internoscatur.

Motum muscularem minuit apoplexia, epilepsia auget. In paralyfi, omnes musculi affecti relaxati, et ad munera inepti, reperiuntur ; ex adverso, in epilepsia semper sunt contracti atque convulsi. Convulsiioni iste sopor deest, qui epilepsiam nunquam non comitatur ; aeger sensus retinet, et impressiones externas sentit.

In

In trismo, tetano, &c. spasmus est tonicus, aut fixus; in epilepsia vero convulsivus, vel (ut medici loqui volunt) *clonicus*, et relaxationes alternantes patitur.

Hysteria interdum cum morbo epileptico conjungitur; cum vero hoc non evenit, facile fecernuntur; quod hystericis convulsionibus laborans sensu quodam, qui globus hystericus dicitur, et canalis alimentarii perturbatione, afficitur; sensus etiam externos retinet plerumque per totum paroxysmum; etsi loqui nequeat, tamen quicquid agitur videt, quicquid dicitur audit; atque visa et audita post paroxysmum in mentem revocare potest.

Hi sunt praecipui morbi qui nunc in mentem veniunt epilepsiam referentes, et quos ab illa dijudicare necesse erit.

Scriptores aliqui monuerunt, ut medici cauti sint ne *epilepsia simulata* decipiantur, et signa quamplurima, quibus fraus detegi possit, dederunt: De his vero nunc agere, vix operae pretium videtur, non solum quod hae simulationes tam raro se apud

nos ostendant, at etiam quod signa, hanc inter et veram epilepsiam diagnostica, apud De Haen, Van Swieten, et alios tam fufe tradantur, ut nihil addendum relictum sit.

Ex signis plurimis hunc affectum comitantibus, morbi sedem in cerebro esse factis liquido constat. Causae ejus remotae se ad dua capita referunt; *seminium*, nempe, vel causas praedisponentes; et potestates nocivas, seu causas occasionales:

Inter causas praedisponentes imprimis est annumeranda * *mobilitas* quaedam cerebri, quod est potestatis animalis plane origo, quod vim nervosam in omnes corporis musculos, eos praecipue qui ad motus voluntarios conferunt, dirigit. Mobilitatem appellamus istum statum, qui spe, timore, laetitia, dolore, facillime movetur, qui irae seu gaudio maxime proclivis, qui denique

† “ Colligit et ponit temere, et mutatur in horas.”

‡ —“ Genus varium et mutabile semper.”

Mens

* Cullen. praelect. pract.

† Horat.

‡ Virgil.

Mens autem et corpus tam arcte inter se nectuntur, ut quodcumque hoc mutat, illam mutatione etiam afficit; status igitur quosdam corporis invenire oportet, ex quibus haec animi mobilitas pendere possit: Hi videntur esse debilitas et plethora; talis enim mobilitas stadium vitae plethoricum, et saepe temperamentum sanguineum, comitari solet. Haereditaria epilepsia interdum fortasse a cerebro male conformato originem ducit; plerumque vero ortum habet a statu peculiari totius compagis corporeae, ex. gr. solidarum partium mollitie, quae fere dignoscitur genarum rubore, cutis candore, aliisque temperamenti sanguinei signis quod mobilitati maxime favet. Saepe etiam, sine ulla laebe haereditaria, inducitur victu lautiore, omnibus denique causis quae plethoram gignunt. Vix quidem explicatione eget quomodo mobilitas ex plethora oriatur*;

* Systematis enim tensionem, quae fibrarum

* Turpin.

rum *motricium* actioni quam maxime
 faveat, intendit, et extensionem vel dis-
 tensionem vasorum ad contractionem
 musculi vivi satis esse, ab actione cordis,
 quam apertissime constat.

Consuetudinis vires in corpus humanum
 omnibus innotuerunt; nemo igitur inficias
 ibit, quin consuetudine mobilitas augeatur,
 dum (instar motuum quorundam) corpori
 naturalis fieri possit. Haec vero semina
 haudquaquam morbum inducere possunt,
 nisi accedant etiam causae occasionales,
 quarum ad explicationem nunc quidem
 transeundum.

Secundum Cullenum, dividuntur in
 I. Causas quae cerebrum excitant, et
 II. Quae *collapsum* inferunt.

Excitantes rursus distinguuntur in

A. Causas quae cerebrum ipsum, et

B. Quae in aliam corporis partem a-
 gunt, unde effectus ad cerebrum
 transit: Haec est quae epilepsia sym-
 pathica seu sympathetica, illa quae
 idiopathica, ab auctoribus dicitur.

Causarum

Causarum cerebrum excitantium altera fit
divisio in

- a. Stimulos mechanicos,
- b. Acria,
- c. Mentem irritantia,
- d. Irritationem a vasis intra cranium distensis.

Et nunc de harum unaquaque causa pauca dicere oportet.

I. A. a. *Stimuli mechanici* sunt quaecunque vi externa impulsa cerebrum laedunt; talia sunt vulnera a capitis contusionibus; callositates seu excrescentiae; ipsius membranae cerebrum tegentis offusio*; sanguis viscidus grumofus in sinibus †; aqua in cavitatibus ‡; integumentorum vulnera;

* A de la Motte (v. *Traité complet de Chirurgie*, tom. 2. p. 368.) narratur se, in cadavere juvenis, qui per octodecim annos epilepsia laboraverat, vidisse duram matrem, ubi falcem format, offe is aculeis asperam. V. etiam Van. Swieten, qui hoc et alia hujusmodi exempla ex variis auctoribus tradidit.

† Frid. Hoffman. et Bonet. *Sepulchret.*

‡ Lysons *practical Essays.*

ra ; cranii depressio, qua capacitas minuitur ; denique, nodi et exostoses venerei.

L. A. b. *Stimuli acres* ex ossium cranii carie, membranae cerebri aut * ipsius cerebri suppuratione, ex materia purulenta aut ichorosa oriuntur. Sanguis etiam in ventriculos cerebri effundi potest, cum infarciuntur venae jugulares ; nam doctus † Spon auctor est harum venarum ramos in cadavere epileptici adeo viscida quadam materia obstructos fuisse, ut *xylis* impleri viderentur, et sanguinem in cerebri ventriculos esse effusum.

Urinam suppressam et halitum cutis impeditum inter acria posuerunt auctores ; eas vero ad causas impetum sanguinis augentes referre, mihi quidem potius videtur ; nam, etsi acres sint, vix credendum est eas retentas, aequae divisas, multum dilutas, exigua qua ad cerebrum perveniunt parte per acrimoniam nocere posse. Universam vero plethoram quomodo inducant, explicatu

* Fernel. *pathol.* lib. v. cap. 3. p. 20.

† Spon. *Aphor.* 19. §. 2.

explicatu simplex patet, et intellectu facil-
limum.

I. A. c. *Irritationes mentales* epilepsiae
saepesaepius originem praebere, ex pluri-
mis exemplis satis liquido constat; sed quo-
modo causa cum effectu annectitur nihil
scimus. Nexum esse quendam, inter cor-
pus et animum, mirabilem, quo, hoc do-
lente, ille etiam laborat, nemo inficias ibit;
quis vero hujus nexus naturam habuit, aut
unquam habebit, compertam? Cerebrum
certe *medium* est, per quod animus in cor-
pus agit; omnium enim nervorum pars me-
dullaris est communis origo, et manifesta
communicatio est inter cerebrum, medul-
lam spinalem, nervos, et caeteras corporis
partes.

Huic autem nervorum origini, quae *sen-
sorium commune* dicitur, mens quodammodo
alligatur; hoc novisse medico sat est: Om-
nes functiones certis (etsi humano generi
non compertis) legibus regi videt; experi-
entia, etsi causa lateat, effectus notat, et con-
sequentiam accurate cognovit. Animi af-

fectus recte in excitantes et deprimentes dividuntur; hi defectum, illi excessum, actionis cerebri faciunt. De animi *pathematibus* incitatione agentibus tantum hic loci dicendum, et postea ad causas collapsum inducentes ordine veniemus: Huc redeunt cogitatio nimia, ira, gaudium, amor prosperus, odium, et libido; et etiam visus epileptici paroxysmo correpti, qui eundem morbum in aliis haud raro inducit. Multa hujusmodi exempla ab auctoribus memorantur: Baglivius casum tradit ‘Juvenis, in Dalmatia, gravissimis correpti convulsionibus, propterea quod inspexerat solium modo alium juvenem, dum epilepsia humi contorquebatur *.’ Exemplum aliud insigne hic tradere placet, quod apud MSS. notas a patre meo an. Dom. 1750, ex praelectionibus clinicis illi viri *J. Rutherford* depromptas accepit: ‘Mulier quaedam in nosocomio Edinburg. epileptico paroxysmo correpta fuit, in quo

‘ membra

* Bagliv. prax. med. L. I. Cap. XIV § 2. V. etiam Whytt on nervous disorders, p. 217.

membra ejus violenter contorquebantur :
 Mulieres aliae, illam dum morbo labora-
 ret inspicientes, statim ejusmodi signis
 corripiebantur: Foeminae quinque aut sex
 hoc modo laborabant, et nisi reliqua a-
 motae fuissent, contagio per totum fortasse
 cubiculum percurrisset; nam sana quae-
 que simul ac aegrotam inspexisset, eadem
 signa perpeffa est. Putat Cl. q. ille Ru-
 therfordi furorem fanaticorum, *Camissarum*
 dictorum, simili quodam modo esse diffu-
 sum. Exemplum unum et alterum me-
 minit hominum se sanos credentium, et ta-
 lem insaniam ridentium, qui solo furen-
 tium visu et auditu ipsi dementiae facti
 erant participes.

Exempla huic similia quotidie ante ocu-
 los obverfantur; quis, oscitante comite, non
 oscitatur? Tam valida in humano genere
 est ad imitationem propensitas: * Sola
 imitatione multa facimus, multa discimus.
 Imitatur nondum conscius infans quic-
 quid

* Gregorij Conspectum vide § 293. et B. 462. et § 471. in capitulo de nervis disorders. p. 217.

quid vel vidit, vel audit: Et vir adul-
 tus et suae spontis, infcius (vel invitus,
 tantum adhuc imitatur, quod hominum
 quibuscum versatur, mores, et sermonis
 prolationem, quamvis saepe nolens, ac-
 quirat. Omnem sermonem infans imitan-
 do discit.

Huic quodammodo (affinis est altera
 illa subita et vehementior limitatio, quae
 dementiae dinstar, non singulos tantum
 homines, sed totos populos, nonnun-
 quam rapuit. Hac tanquam contagione,
 varii animi affectus, tristes, laeti, ridiculi,
 ab unius vultu per omnia pectora dima-
 nant. Ardor pugnae, et plusquam spes
 victoriae, ab alacri ducis in quem confi-
 dunt milites, vultu, totam aciem dicto
 citius pervadit, et omnia pectora pariter
 accendit: eisdem milites, victoria jam
 parta, unius vel ignoti hominis terrore
 perculsi, turpiter terga dederunt, nulla
 auctoritate, nulla vi coercendi.

Parem esse rationem epilepsiae, quis du-
 bitare potest? Exempli hujusmodi, quae

ad imitationem, minime ad horrorem (ut aliis placuit) referenda sunt, apud auctores scitent: Sauvagesius* de muliere memorat, quae epilepsiae paroxysmo percellabatur, quoties in templum ingrederetur. Cullenus noster, in praelectionibus suis, de foemina quadam gravida vomitu semper (dum uterum gerebat) affecta, quoties stolam quandam inspiceret, mentionem fecit: Hoc evenisse patet ex viribus imaginationis, seu ideae renovatione, haudquam ex metu; nam, cum sutrix vestiaria stolam primum adduxerat, labore induendi fatigata evomuerat. Haec vero haec tenus: De puero, cane viso, epilepsia † correpto, aliisque huc spectantibus, et tam saepe citatis casibus, repetitionem omnino supervacaneam esse duximus.

A. I. d. Denique, quaecunque distensionem insolitam vasorum intra cranium adducunt, nempe calor nimius, exercitatio justo violentior, evacuationes solitae sup-

pressae,

* Nosolog. methodic. V. I. p. 583. Ed. 1768.

† V. Swieten comment.

pressae, quales sunt catamenia, fluxus haemorrhoidalis, ulcerum, fomiculorum, et eruptionum exsiccatio, consueti ebrietas, tumores seu offificationes quarumvis partium liberum sanguinis motum impediens, inter causas epilepsiam moventes numerantur.

Ap II. Sympathicae epilepsiae causae occasionales sunt quaecunque nervos in alia corporis parte, praeter in capite, afficiunt, nempe gingivarum sine dentitione distensio magna, et ventriculidis intestinorumque a lacte coagulato, ac cibo potoveii acrido; a vermibus, a materie variolosa, aut pure, a venenis, a crapula, inanitione, irritationes. Et si auram epilepticam inter signa apud morbi historiam enumeravimus; tamen hic loci fusius de hac, quasi morbi peculiari specie, tractare haud abs re videtur, atque eo magis quod hoc genus morbi apud antiquos raro accidisse apparet. Galenus* memorat, se adhuc puerum semel vidisse, quem

* Gal. de loc. affect. lib. 3. cap. 5.

quem casum verbis sequentibus narrat :
 ' Quale genus morbi ipse adhuc adolescens
 ' primum vidi in puero XIII. annum ae-
 ' tatis agente; qui sane narrabat dispositio-
 ' nem ipsam a crure initium capere, mox
 ' illinc recte ascendere per femur et emi-
 ' nentes ei lumbos, ac per latus id ad cer-
 ' vicem, donec perveniret ad caput; quod
 ' cum primum stangeret, ipsum haudqua-
 ' quam sibi constare. Interrogantibus au-
 ' tem medicis, quale esset quod ferebatur
 ' ad caput, nihil habuit quod responderet
 ' puer. Aliis tamen, compositionis dice-
 ' bat veluti frigidum quendam aërem ex-
 ' istere. Quod ad causam hujus signi me
 omnino ignorare lubenter fateor. Antiqui
 de eo parum perspicue loquuntur; et ho-
 dierni scriptores vix apertius ratiocinantur.
 * Boerhaavius nimiae nervorum mobilitati
 ascribere videtur; nam dicit, ' tolli posse fa-
 ' nata debilitate generis nervosi nimis facile
 ' movendi. Haec autem causa esse non
 potest;

* Aphor. 1084.

potest; nam, si ipse nervus prius affectus, filo constringatur, si cauterio seu caustico uratur, si epispastico vulneretur, si denique digito tantum fortiter comprimatur, aëris (seu cujuscvis sit causae) ascensus repente impeditur, et occurritur paroxysmo. Nonne igitur conjectura duci licet, causam omnino esse localem, et ipsi nervo propriam in quo sensatio oritur? Mirabile quidem signum est, neque ex principiis mechanicis solutionem (ut opinor) excipere queat.

B. Procul dubio causae etiam sunt aliae hunc affectum gignentés, quae, ut Cullenus noster celeberr. posuit, per collapsum agunt. Hujusmodi sunt haemorrhagiae omnes immodicae; * Inanities, terror, effluvia aëris putridis, et vapores nocivae ex carbonibus, mercurio, et id genus aliis. Venena plurima etiam, (teste Sauvagesio), qualia sunt cicuta, hyosciamus, &c. et Venus nimia. Quaecunque causae collapsum inducunt, vires generis nervosi minuunt. Morbi autem

* Galen.

† Hoffmann. tom. 3. p. 13.

gitur accessio post sanguinis immodica profluvia, explicationem facile excipit; quomodo autem agant odores in epilepsia, hysterica, syncope producendis, explicatu difficillimum quidem videtur. Negat Cullenus hos agere posse seu viribus stimulantibus, seu sedantibus; propterea quod operatione sua sunt dispares; quosdam enim stimulant, dum alios sedant; actionem igitur putat esse ex sensu quodam ingrato.

Neque haec opinio de *collapsu* omnino hodierna est; nam ipsi antiqui de epilepsia ex depletione, inanitione, et haemorrhagiis scripserunt; inter alios, Galenus memorat, 'hominem quendam toties in epilepsiam cecidisse, quoties tempora cibi sumendi differebantur.'

Longa (hacce, etsi necessaria, causarum remotarum enumeratione jamjam finita, monstrare inunc oportet quomodo illae omnes ad unam producendam tendant, quae *causa proxima* dicitur. Me vero hanc rem tam difficilem tentantem, pavidum et timo-

re percitum lubentissime fateor. Satis patet affectionem esse generis nervosi; quis vero de morborum causis, cerebrum et nervos afficientium, certo seu accurate dicere potest? Est quasi *terra incognita*, in qua quisque pro voluntate sua vagatur, et viam diligit jam factam, aut facit. Auctores de hac re multas plausibiles et populares fabulas effinxerunt; 'haec vero omnia novimus esse nihil.' Rationem igitur nostram capiemus, non nisi ex certis corporis humani legibus, et actione causarum remotarum quas jamjam enumeravimus. Ex his causa hujus morbi proxima videtur esse compressio cerebri, et fluidorum transmissio inaequalis. Haec autem induci non potest nisi accedant etiam causae externae, quales sunt crapula, res venerea, exercitatio crebra seu violenta. Causae vero externae vix, si unquam, agere possunt, nisi sit etiam interna, quam supra diximus praedispositionem; haec esse potest excrescentia ipsius cerebri, arteriarum distensio, sinus dilatati; cavitates pure, ichore, aut aqua impletae,

impletae, unde pars medullaris, et nervorum origo, pariter ac vasa sanguinea, comprimuntur; exostosis venerea, aut cranii depressio. Apud infantes esse potest evolutio seu extensio inaequalis vasorum cerebri; et hoc fortasse iis accidit, qui (ut Hippocrates observavit) circa pubertatem a morbo liberantur, cum vasa evolvuntur. Hae omnes causae cerebro comprimendo certe agunt; sed, nisi externa etiam causa adsit, paroxysmum haudquaquam inducunt. Quo melius opinio haecce intelligatur, ex plethorico illustrationem habemus: Ei procul dubio semper inest causa interna haemorrhagiarum; nunquam vero producitur sanguinis profluvium sine excessu quodam cibi, potus, exercitationis, aut alia tali causa, qua sanguinis aucta copia ex vasis erumpat. Si aliter esset, epilepticus convulsione, plethoricus haemorrhagia continua, nunquam non laboraret.

Causae vero pleraeque externae epilepsiae sunt quae quantitatem aut motum sanguinis augent. Diaeta lauta, chyli, atque
adeo

adeo sanguinis, quantitas accumulatur; potu nimio stimulante, libidine, exercitatione immodica, cursus sanguinis acceleratur, quo fit ut sensorium commune comprimatur.

Evacuaciones suppressae, nempe faeces, urina, perspiratio, menses, haemorrhoids, aut alia sanguinis profluvia, huc etiam redeunt; et his fortasse addi possunt.* Lunae mutationes.

Haec omnes impune accidunt, si absit causa praedisponens; miser autem epilepticus, nisi ab omni vitae jucunditate abstinereat, si edat, si bibat, si amet, sibi mortis periculum accersit.

Nunc autem quaerendum est quomodo pressura cerebri inaequalis, ex causarum internarum externarumque concursu nata, haec signa in paroxysmo plerumque visa producat. Quando cerebrum et nervi inaequaliter comprimuntur, vis nervosa impeditur, et muscoli, nervosa a parte cerebri compressa recipientes, paralytici fiunt. Ma-

* Mead de imp. Sol. et Lun. ubi argumenta pro hac opinione plurima inveniuntur.

jor autem quantitas per nervos, pressurae expertes, transit ad musculos, in quibus diffunduntur; igitur ut saepius contrahantur seu convellantur necesse est; atque adeo ut aeger concidat, tremat, et membra jactando fatiget. Ab anatomicis sane observatur, sanguinem in musculis convulsis impediri, et primum floridum, tunc lividum, denique nigrum apparere: Ex hoc autem intelligimus, signa quae in facie misere laborantis cernuntur; faciei enim musculi supra alios afficiuntur. Dum musculi contracti venas premunt, liquor earum, ne exeat, cohibetur; unde fit jugularium distensio insignis. Horum signorum remissionis, et somni istius qui paroxysmum sequitur, rationem nunc reddere conandum. Cum magna sanguinis copia in venis jugularibus, partium incumbentium pressura, retinetur, minor certe quantitas ad cor redit; igitur minor etiam quantitas a corde, per arterias carotides et vertebrales, ad cerebri mittitur; adeo pressura minuitur, et aeger, pro hac saltem vice, a morbo liberatur. Dum somnus adest, sanguis per

vasa

vafa cerebri aequabilis sibi et constans fluere videtur. Causa igitur distensionis fere amota, et aegro multum jactationibus fatigato, quid mirum est si in somnum incidat? Arteriarum cerebri situs peculiaris huic morbi fausto decursui quam maxime favet; arteriae enim carotidae et vertebrales circum quendam, Willisii nominatum, cum cranium intraverint, efformant, ex quo rami quatuor seu quinque inter se communicantes oriuntur; et horum singulus quisque ramus et rami ramulus, fortasse ad minimos, simili modo dividitur. Propter hanc optimam et mirabilem structuram, nulla obstructio in arteriis, vel majoribus vel minoribus, diu manere potest. Sed, si sanguis in uno ramo brevi haereat, magnam tensionem minime patietur, neque in reliquos premet, quo inflammatio aut aliae obstructionis consequentiae partes vicinas aggrediantur, sed per communicationes in alia vasa transibit. In epilepsia igitur, externa distensione, musculis convulsis sanguinem (ut supra explicatur) impredientibus, amota, sanguis

sanguis inter vasa retentus per communicantia abit, et aeger post somnum ab omni signo morbi, nisi inter ambulandum parvula titubatione, (quod musculi tonum sibi proprium nondum recuperaverint), immunis relinquitur.

Videtur profecto de *prognosi* meditatio potissimum cum ad aegri salutem, rectamque curationem, tum ad medici fidem atque dignitatem, spectare; hac potissimum ratione, quia novisse morbum proximus est ad sanitatem gradus. Nemo sane hanc aut praefagire aut reddere affectis recte potest, qui non animadvertere genus aegritudinis quod sit, non ejus eventum omnem praenunciare, certis indiciis norit*.

A Galeno † jure observatur, quod in omnibus soporosis affectibus (in quorum numero apoplexia et epilepsia continentur) periculi magnitudinem ex nocumento respirationis, aliorumque motuum vitalium, conjicere

* Lommii epist. ded. ad Sen. Brux. p. 8.

† Gal. de loc. affect. L. 3. cap. 5.

conjicere oportet; muscoli enim ad hos motus intervientes nervos a cerebello accipiunt. Prognosis autem plerumque erit infauſta; nimius enim metuendi locus eſt, medicum nunquam fore adeo argutum, qui cauſam internam accurate inveniatur, aut inventae remedia applicet, ſi ſit exoſtoſis, cranii depreſſio, ichor, pus, aut fere interna ulla alia. Varii quidem gradus ſunt morbi; ſed cum ab ipſius cerebri vitio, aut a mala conformatione, ut in morbo haereditario oriatur, cum denique ſit, quae ab auctoribus dicitur perfecta epilepſia, nemo prudens medicus curationem promittere poteſt. Interdum ex mirando illo nervorum nexu, ſeu ſympathia cum alia pars corporis afficitur, originem ducit; et certe epilepſia ſympomatica ſeu ſympathica curationem abſolutam accipere queat. Res quidem una, atque altera in prognofi inſtituenda adhuc manent, duratio ſcilicet morbi, (ejuſ enim magnitudo et periculum vires eundo adquirunt), et aetas laborantis; * Hippocrates enim,

* Hipp. Aph. 45. ſect. 2.

enim, et omnes post eum optimi de re medica scriptores observarunt, juvenes inter epilepticos impuberes * aetatis, † regionis, victus mutatione sanari; nam circa pubertatem saepissime solvitur morbus, quia tunc temporis vasa cerebri evolvuntur; in illis vero qui epileptici fiunt post annum aetatis vigesimum quintum plerumque, per totam vitam manet ‡.

In morbo tam acro, terribili, pertinaci sanando, quid mirum medicos per tota animale, vegetabile, et fossile regna in medicamentis quaerendis vagatos esse in specifica vix numeranda, de nomine potius quam natura morbi cogitantes invenierunt; nulla ratione ducti, omnia quae venis vasa appellantur in commixtione rudi atque indigesta cumularunt, et omni sexui, aetati, corporis habitui, sine discrimine dederunt. ¶ Quis vero imbecillitatem natu-

* Sauv. vol. 1. p. 581.

† V. Swieten.

‡ Hipp. praedict. L. 2. sect. 2.

rae humanae non dolebit, cum videt * Hoffmannum ipsum, cujus in rebus aliis judicium tam insigne, pro specificis in epilepsia numerantem pulverem lumbricorum, cranii humani scobem, alcis unguisam, et sanguinem humanum. Exemplum unum credulitatis hic afferre liceat, quod ab amico nuper ex Italia redeunte accepi. Apud Italos, cum aliquis ultimo supplicio legis afficitur, primum ei caput ictu petitur, tunc fune suffocatur, postremo jugulatur. Epilepsia autem laborantes ab omni parte conveniunt, ut sanguinem potandum accipiant; hunc enim in hoc morbo remedium putant omnino certum. Hanc consuetudinem a majoribus accepisse videntur; nam Celsus, de morbo comitiali scribens, dicit, 'quidam jugulati gladiatoris calido sanguine poto, tali morbo se liberarunt †.' Haec vero haecenus; nam horum omnium remediorum effectus (si unquam profuerint) viribus imaginationis

* Hoffman. Op. tom. iii. § 2. cap. viii. § 12.

† Cels. de Medicin. lib. iii. cap. xxii.

tionis sunt tribuendae; de illis utpote curiosis potius quam utilibus mentionem feci. Ex supra dictis, de causis *Idiopathicae* seu *perfectae* epilepsiae, sanatio omnibus numeris absoluta vix speranda; in plerisque talibus ars medicinæ nihil nisi curationem imperfectam præbet. Ut omnino amoveatur morbus, oportet obstructionem cerebri tollere; sed hoc difficillimum est; nam, etsi morbi sedem compertam habeamus, tamen argumenta ex quibus naturam obstructionis intelligamus pauca sunt, et sæpe fallacia: Si vero natura obstructionis intelligatur, tamen cerebri textura adeo tenera, et vasa ejus tam mollia, tortuosa, complicata, ut facilius fortasse hæc perdere, quam materiem cursum fluidorum impedientem perfrangere possimus.

Cinnabaris nativa, et arte facta, etiam antimonialia, et sæpissime hydrargyrus, a medicis fuerunt præscripta: Sed cum apud nos cogitemus, quot causae inter se immane discrepantes eadem fere symptomata gignunt, et tamen sanationem diversam postulant;

postulant ; cum signabunde diagnosi ca-
piamus pauca sint seu nulla, de certo mor-
bum idiopathicum modo sanandi ignoran-
tiam fateri, et signa graviora ut allevemus
conari nos certe oportet.

Cum autem spes medendi adesse potest,
indicationes quae sequuntur sunt observan-
dae.

I. Causas praedisponentes (quantum pos-
sumus) remove,

A. Plethoram,

a. Diaeta parca,

b. Purgantibus,

c. Sanguinis detractione,

d. Foniculis, &c.

B. Debilitatem,

a. Tonicis, quae sunt

1. Cortex Peruvianus,

2. Praeparata metallica,

3. Balneum frigidum.

b. Astringentibus.

II. Causas occasionales evitare.

III. Mobilitati systematis obviam ire,

A. Antispasmodicis,

a. Moscho,

b. Æthere,

c. Opio,

&c. &c.

Utilitas victus parcioris in plurimis morbis, omnibus qui rem medicam coluerunt satis innotuit; in nulla autem affectione, quam in epileptica, utilior invenitur lævis, parcus, refrigerans. Doctoris Taylor de Croydon exemplum, quod * Cheyne narravit, quantum praeſtat, inſigne documentum praebet: Lacte ſolo (omni alio remedio a celeberrimis iſtius temporis medicis laudato, fruſtra tentato) ſe ab epilepſia violente, et fere conſtante, liberavit, neque pane neque alia re, ſeu vegetabili ſeu animali, niſi interdum cochleari parvulo aquae paeoniae, quae lac a coagulando retineret, acceptis. Congii dimidium lactis vaccae herbilis per diem cepit, partem nempe octavam mane et nocte, et hora prandii quartam. Cum doc-

tus

* Cheyne's Eng. Malady, p. 2. c. 14 § 7.

tus Cheyne eum vidit, et hanc historiam ab ipso audivit, per annos septendecim a morbo omnino immunis vixerat, violentissimam exercitationem indies impune tentaverat, pluresque liberos procreaverat: Post-hac per annos septem vel octo vitam ab affectione epileptica liberam degit, et fortasse diutius degisset, nisi ad victum animum rediisset, atque adeo morbum, quo demum obiit, reduxisset. In omni vero exemplo victus omnino ex lacte, utpote justo frigidior, haudquaquam administrandus; nam potestates ad cibi concoctionem conducentes debilitare, sanguinem aquosum reddere, et hydropem inducere potest; apud plerosque vero, diaeta parca ex lacte et re vegetabili optime conveniet.

Purgantia mitiora contra plethoram multum certe profunt; nam quantitatem sanguinis minuunt, et revulsionem a capite faciunt. In hac vero evacuatione, ut in aliis, de quibus mox dicendum, ne iteratione vires aegroto frangantur, atque inanitio inferatur, cavendum.

Sanguinis

Sanguinis detractio, tum topica tum univ-
ersa, ut praefens plethora tollatur saepe ne-
cessaria; sed ejus reditui raro si unquam oc-
currit. * Sauvages duo exempla tradit,
et Cullenus unum, in quibus repetitae et
largae sanguinis detractiones aegrotos a mor-
bo liberarunt: Sed, cum apud auctores ex-
empla plurima invenimus, ubi sanguinis de-
tractiones nimis frequentem potestatem *hae-
mopoieticam* vitiaverunt, et diathesin hy-
dropicam adduxerunt; cum in aliis vide-
mus plethoram hoc ipso remedio auctam,
potius in plerisque casibus ad alia confugi-
endum.

Fonticulos et ulcera, in multis corporis
humani partibus, ad plurimos morbos sanan-
dos usus faciendi inveteravit: Hippocrates
enim cauterio inustionem saepe commendat,
Themison, et qui eum sequuti sunt, eo ut ul-
cera facerent haud raro usi sunt; Ægyptii †
etiam et Equites Arabici variarum partium
inustione morbos suos abigunt: In nullo
autem

* Sauvag. Vol. I. p. 581.

† Alpin. lib. 3. cap. 12.

autem morbo, quam in epilepsia, plura exempla horum ulcerum et fonticulorum praesentiae inveniuntur. * Hippocrates monet, capitis ulceribus pueros a morbo comitiali servari; et facillime adducenda sunt innumera fere exempla quam efficaces sunt ulcerationes, cum natura tum arte factae, hoc in morbo abigendo: Unum a † Meeckeren memoria dignum sufficiat, juvenis cujusdam epilepticis convulsionibus misere affecti, qui post omnia medicamenta antiepileptica frustra tentata, tandem ulcere supra futuram coronariam cauterio facto, omnino sanus dimittebatur. Ut horum effectuum explicatio pateat, hi fontes duplici modo sunt considerandi; ut constans et minime negligenda humorum a toto sanguine evacuatio, et etiam a parte ipsa laborante detractio; nam, uti pus a sanguinis glutine praecipue formatur, quod etiam ad partem rubram efformandam plurimum fortasse confert,

* *regi rns iepns 1008.*

† *Observat. med. chirurg.*

fert, necesse est ut hujus abstractio, sanguinis molis sit etiam spoliatio. Quantitas autem feri, quae ex fonticulo perpetuo ferè fluit, multo major est quam apud plerosque opinatur, uti ab experimentis doctissimi* Pringle luculenter apparet. Cum vero plenitudo vasorum saepissime morbi est causa occasionalis, nihil certe ad abundantiam fluidorum minuendam melius accommodatur quam fonticuli perpetui, quod horum usu pericula, quae alvi evacuationes et frequentes sanguinis detractiones comitantur, evitamus.

F. Supra

* Pringle's Observations, in the Appendix, Exp. XLV. towards the end, where the Doctor, after observing 'that the serum of human blood, upon standing but a little time in the furnace, (long before it becomes offensive), grows turbid, and gradually drops a sediment resembling well digested matter,' adds, 'that issues are of more consequence for making drains than one could expect from the visible evacuation. As near,' says he, 'as I could guess, an ounce of serum, upon standing some days, did not furnish more of this matter than what might be produced from the daily discharge of a large pea issue, or a seton.'

Supra omnes faciendi modos in collo infitiones prodesse videntur, et fortasse ipso cauterio inustio supra futuram coronariam seu sagittalem interdum commode tentari potest; nam maximo cum fructu * Robertus Davies, chirurgus peritus, monente Pringle celeberrimo, futurae sagittali paralytici cujusdam applicavit, neque, dum applicasset, aegrum dolorem vel minimum sentiisse affirmatur. Interdum etiam fortasse utile foret fluxum haemorrhoidalem adducere, quod fieri posse myrrho, aloë, et caeteris talibus, et *suppositoriis* (sic dictis) ex aloë, melle, et sapone compositis, experientia docet.

Ad debilitatem corporis tollendam post plethoram a corpore evacuationibus amotam, tonicorum usus omnibus innotuit: Inter tonica remedia celeberrimus est cortex Peruvianus; sed non nisi in epilepsiis per circuitus exactos redeuntibus, et non a plethora originem ducentibus, dari oportet. Cullenus se in tali casu cortice semel atque iterum

* Med. Observat. and Enquir. Vol. I. p. 398.

iterum abigi vidisse paroxysmum testatur. Remedium certe utilissimum est, sed potestates haudquaquam permanent; igitur statim ante accessionem quantitas haud exigua administranda.

Quod ad exercitationem, dum Scyllam aeger vult vitare, caveat ne in Charybdin incidat; nimia enim exercitatio et desidia pariter sunt evitandae: Ex constante et modica, commoda capiet omnia, sine metu periculosi istius fluidorum aucti impetus, quae exercitationem subitam et violentam nunquam non sequitur.

Tonica metallica in hoc morbo usitatissima fuerunt, et plurimam diversa genera medici tentarunt: Ab ipso arsenico intere dato non abstinuerunt; sed, propter periculi magnitudinem, ad alia potius confugiendum.

A quibusdam multum laudatur stannum, si jure, ex propria experientia nescio.

Praeparata ex ferro saltem tuta sunt; sed cum nunquam multum valuerint, potius cupro, utpote magis tonico, medici usi sunt.

Omnia

Omnia metalla caute adhibenda, eo quod vim stimulantem pariter ac tonicam habent; cum vero metallica vires stimulantes ex salinis particulis, quibuscum junguntur, accipiant, si cuprum cum alkali caustico, seu cum salibus mediis, commisceremus, medicamento certe mitiori potiremur: Hujusmodi remedium est cuprum ammoniacum, cujus grana IX ter de die multum profuisse, Ruffel * auctor est. Vitriolum caeruleum dosibus exiguis interdum non sine commo- do fuit adhibitum; et, siquidem aliquis cuprum ulterius tentare voluit, apud Van Swieten praeparata alia inveniet. De zinci floribus multum inter medicinae cultores disceptatur; a Gaubio celeberrimo plurimum laudantur; votibus aliorum vero haud quidem responderunt. Res est investigatione certe digna, et ulterius de horum virtute quaerere oportet.

† Conjunctionem zinci cum cupro ammoniaco, quando per se neutrum respon- deret,

* Diss. med. inaug. de cupro.

† V. Duncan's Cases p. 18. et seq.

deret, profuisse testatur Dr. Odier Genevensis, neque dosin alterutrius minuere necesse est. Metus ab auctoribus de epilepsia scribentibus inter remedia tonica annumeratur; sed cum applicatio sit difficilis, addi potest periculosa, ne ad terrorem, qui sedat, urgeatur, omnino praetermittendum putavi.

Lavatio frigida caute assumpta optimum remedium esse videtur; nam fibras musculares tendit et roborat, et nervis mobilitatem aufert. Necesse vero fit ut plethora sit prius omnino amota; nam aqua frigida corporis superficiei applicata, vasa extrema constringendo, vim circulationis adeo intendit, ut in plethorico epilepsiae praedispositionem habente paroxysmum ipsum induceret. Spasmodicas etiam convulsiones incaute adhibita interdum affert; frigus igitur gradatim aegro applicari oportet, aqua, illi ante in balneum ingressionem in caput parcius affusa, et corpore manibus madentibus perfricta.

De

De vegetabilibus astringentibus perpauca quidem addenda restant. Virtutes quas visco quercino veterum credulitas tribuit, hodierna experientia negavit: Folia aurantium (si De Haen utilia invenit) vires nunc dierum amifisse videntur. De cortice Peruviano, qui viribus cum tonicis tum astringentibus gaudet, fatis (in pag. 42.) supra dictum est.

Quantum aegrotis interfuit ut causas occasionales evitet, vix repetitione eget; a cibo et potu stimulantibus, ab exercitatione immodica, a Venere, ab omni denique causa quae sanguinis impetum augere possit, sedulo abstineat.

Inter antispasmodica quibus mobilitati obviam itur, praecipua ab auctoribus laudata sunt paeonia, valeriana, hyosciamus, stramonium, oleum animale, potus inebriantes, moschus, aether, opium, et alia quorum plurima nunc, utpote inertia et inutilia, jure negliguntur.

Paeoniae effectus hodierni nesciunt; de effectibus valerianae dubitant. Cullenus no-

ster quidem valerianam prodesse se vidisse fatetur, sed nunquam nisi eodem tempore alvum purgasset; ex evacuatione igitur, potius quam viribus medicamenti antispasmodicis, commodum acceptum fuisse existimat. Hyosciamus (cujus virtutes Stork fufius tradidit) operatione sua opium refert, modo alvum solutam linquit. Strammonium apud historias ab academia scientiarum Stockholmiensi multum laudatur. Ol. animale adeo servatu difficile est (aër enim admiffus qualitates ejus corrumpit) ut rarius quam mereri videtur fuit tentatum; nam apud Germanos pro optimo remedio habetur. Potus inebriantes, eodem modo ac opium, agere videntur; sed raro, fortasse nunquam, sunt usurpandi.

Mofchus, cum purus parari potest, multum prodest; sed, nisi majore copia datus, nihil agit. Æther etiam in plurimis affectionibus epilepticis auxilium attulit. Ab Hoffmanno maximis laudibus effertur; accedunt etiam * observationes quaedam de
ejus

* Med. Observat. and Enq. vol. 2. p. 451.

ejus usu minime negligenda a Doctore Morris traditae.

Opium medicamentum est, cujus virtutes certae, cujus vires omnibus notae; sed, quanquam in mentis affectionibus, in convulsionibus, in spasmodis, potestates ejus diuturnus usus monstravit; tamen haud paucis rem medicam agentes remedium minime tutum, saltem incertum, putarunt. Quandoque morbus a mobilitate aut irritatione nimia oritur, opium ut tonicum et antispasmodicum tuto et commode adhiberi potest, si prius plenitudo amoveatur. Justo diutius adhibitum debilitatem et irritabilitatem corporis adauget; igitur non nisi, jam adstante paroxysmo, dari oportet.

Breviter de medicamentis de industria tractatur; nam spes sanationis in hoc morbo a regimine et vitae consuetudine probe ordinatis, magis quam formulis, plerumque pendet:

Observandum tamen est, tantas esse consuetudinis vires, ut morbus post primam aggressionem

aggressionem semper sit facillime revocandus ; etenim

“ *Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.*” VIRG.

Igitur cum alia remedia frustra sunt tentata, ex victu, ex regione, ex vitae ratione omnino mutandis, spes medendi restat.

Epilepsia sympathica ex tot et tam diversis causis oritur, ut in ea sananda praecipua difficultas est originem novisse ; haec autem, percontatione strictim carptimque in vitam aegrotantis habita, et signorum observatione, plerumque superabitur. Signa enim quae morbo primo sunt propria, et quae omni medico innotuere, satis causam ostendunt ; cum sit, exempli gratia, gingivarum distensio in dentitione, aut cum a vermibus, lacte coagulato, stimulo acrido in ventriculo seu intestinis producat. In aliis vero exemplis exploratu vel peritissimo medico difficillimum invenietur ; quod Celsus igitur de alia re dixit, de hoc etiam recte dici potest, *

G

‘ tem

* Celsus de Medicina, lib. 2. cap. 6.

‘tem medicinam, rationemque conjecturae
 ‘talem esse, ut cum saepius aliquando re-
 ‘sponderit, interdum tamen fallat.’

Cum infantum convulsiones a gingiva-
 rum earumve membranarum distensione
 causam habent, incisione, cum ab acidi-
 tate in primis viis, purgantibus mitioribus
 ex rheo et salibus lixiviis saepius repetitis,
 et praecipue magnesia alba, sanantur. In
 pueris autem, cum propter aetatem provec-
 tam paroxysmi validiores sunt, emetica
 lenia cum catharticiis ex rheo, et post haec
 cinnabar. antimonii cum extracto cort.
 Peruv. ut ventriculus et tubus intestinalis
 post evacuationem roborentur, erunt ne-
 cessaria; si convulsiones sint violentae et
 frequentes, epispastica applicentur.

In omni denique sympathica epilepsia, si
 aestimationem causae habemus, istis reme-
 diis quae signa postulant morbum solvere
 possumus.

Cum sensus ille, quae aura epileptica
 dicitur, adest, paroxysmo saepius occur-
 ritur

ritur ligatura; cum vero hoc modo praevertitur, vires novas acquirit; V. Swieten enim exemplum memorat, in quo accessio diu ligatura deferrebat, tandem vero violentior facta, et cohibitionem recusans aegrum interemit. Cum sensus frigoris ab eadem parte semper incipit, nervum urendo vel secando, atque adeo communicationem cum cerebro interrumpendo, morbus saepissime abigitur.

Haec vero haecenus. Quantum distent a perfecto et absoluto opere haec prima de re medica tentamina, satis compertum habeo; nec me fallit, plurima calamo nimis festinante fuisse conscripta.

Si plus autem hujusmodi conatibus incubuissem, documenta praestantissima neglexisse, alibi frustra quaerenda, rem medicam in hac Academia docentium, fuisset necesse.

Celebritati virorum tam illustrium laudes Juvenis et Tyronis, nunc quidem nihil addere

addere possunt ; sed si posthac inter laudatos ipse fuero annumeratus, tunc, propter beneficia accepta gratias agam, tunc quidem fateri juvabit, ‘ quod spiro et placeo ‘ (si placeo) illorum est.’

TENTAMEN MEDICUM
IN A U G U R A L I

F I N I S.

A N N A S A R C A